



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

2 An resurrectio, & gloria corporis sit effectus Eucharistiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

petitu sensitivo, nihil est, quod dicamus, quia huiusmodi effectus non est à gratia gratum faciente distinctus, sed sub illa continetur.

*Eucharistia habet aliquam efficaciam in corpore digne suscipientis.*

*D. Thom. Richard. Gabr. el. Soto. Gerson. Cyrill. Damasc.*

*Chryf.*

*Cyrril.*

*Cyprian. Nysenus.*

*Ambros.*

*Hierony.*

*Conc. Colo.*

Dico secundò, hoc sacramentum habere aliquam efficaciam in corpore digne suscipientis, moderando fomitem peccati, & alios bonos affectus in sensitivo appetitu excitando, ut promptius & citius diuis homo virtutem operetur. Hæc assertio colligitur ex còmunimodo loquendi Theologorum & Patrum, dicentium hoc sacramentum ardorem concupiscentiæ extinguere, fomitem minuire, deuotionem augere. Sic fere loquitur D. Th. hic ar. 1. ad 3. & ar. 6. ad 3. & opusc. 58. c. 21. & opusc. 59. c. 6. Richard. in 4. dist. 9. art. 1. q. 2. Gabr. lect. 82. in Can. Soto d. 11. q. 2. ar. 5. Gerson. ser. 9. super Magnificat. Et ex Patrib. Cyrill. Hieros. Catech. 4. mystag. Animam (inquit) & corpus sanctificat. Damal. l. 4. c. 14. Cedit (inquit) in animæ & corporis præsidium: & infra: corpus & sanguis Christi est ad animæ & corporis nostri incolumitatem tendens: Chryf. ho. 4. in Matthæum: Quo nam (inquit) modo ab hac tam noxia peste liberabimur? (disputat de passione iræ) si illam vtiq; potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes serpentesq; mortificat. Et quodnam, inquit istud est poculum, quod eam vim habeat? Pretiosus, scilicet Christi sanguis, si cum fiducia sumatur: idem hom. 51. in Matth. & 45. in Ioan. Cyrill. l. 3. in Ioã. c. 37. & l. 4. c. 17. Sedat, cum in nobis manet Christus, fauicem membrorum nostrorum leges, pietatē corroborat, perturbationem animæ extinguit. Multa similia habet Cyp. in ser. de Cœn. Dom. licet etiam Greg. Niss. orat. Catech. c. 37. hoc sacramentum vocat: salutare medicamentum prauos nostri corporis affectus corrigens: & eodem modo dixit Bernard. ser. de Cœn. Dom. Hoc sacramentum minuit sensum in minimis: & Ambr. ser. 15. in Ps. 118. Hoc sacramentum air: inebriari affectus fidelium, ut curas sæculi huius, merum mortis, sollicitudinemq; deponant. Atq; in hunc fere modum de hoc sacramentum exponit Hieronym. Zach. 9. verba illa: Et vinum germinans virgines: & ideo in Catech. Pij V. dicitur: Hoc sacramentum sensum libidinis cohibere. Atq; idem late tradit Concil. Colonienf. fol. 78. cuius optima sunt verba, sed vitandæ prolixitatis causa ea omitto.

Ratione declaratur, quia dupliciter, hic effectus intelligi potest. Primo, solum indirecte, quia, dum augetur charitas, concupiscentia minuitur, & hunc modum indicat S. Thomas, quem Soto sequitur. Et hic modus est verus, non tamen sufficiens ad veritatem assertionis positæ, quia non requirit efficientiam aliquam circa corpus. Alter ergo modus est directe per actionem aliquam circa ipsum corpus, qui etiam variis modis intelligi potest. Primo, per redundantiam ex affectibus voluntatis, ita tamen, ut ea redundantia sit intenta ex propria institutione huius sacramenti, cuius efficaciam tales affectus excitantur in voluntate, ut ex eis redundet in appetitum moderatio concupiscentiæ, & omnis terrene voluptatis. Secundo intelligi potest, per actionem propriam circa imaginationem vel appetitum, qua excitentur phantasmata, & humores, vel spiritus animales ita commoueantur, prout ad huiusmodi effectus necessarium, vel magis accommodatum est: & hi duo modi sunt faciles, & vix inter se distinguuntur, & ad quandam gratiam excitantem pertinent. Tertius vero modus addi potest, nimirum per alterationem corporis, seu temperamenti eius. Nam, quia motus fomitis & concupiscentiæ multum pendet ex temperamento & materialis actione, seu alteratione eius, intelligi potest, hoc sacramentum habere hanc vim moderandi hoc temperamentum, remittendo, verbi gratia, nimium calorem, atque hoc modo paulatim ardorem libidinis extinguendo, siue hoc fiat immediate ab ipso sacramento, modo supernaturali, siue applicando aliquam causam naturalem, ex qua talis effectus sequatur. Sicut Extrema vnctio, altero ex prædictis

modis, salutem corporis confert. Et iuxta piam aliquorum opinionem idem interdum efficit hoc sacramentum, si ad salutem animæ expedit, & aliquando præstat corporis robur, ad opera virtutis exercenda necessarium, ut significat Laurent. Iustin. serm. de Euchar. Claud. repet. 6. cap. 10. Et hic modus est pius quidem & probabilis, sed incertus. Illud autem certius affirmari potest ratione huius sacramenti conferri hanc fomitis moderationem per specialia Dei auxilia, & extrinsecam prouidentiam seu gubernationem, per quæ fit primum, ut in homine excitentur cogitationes & affectus ad eum in rem valde accommodati; deinde, ut tollantur omnes occasiones extrinsecæ, quæ prauos motus in homine mouere possunt, & illæ potius essentur, quæ omnem temperantiam, ac moderatiouem afferant. Deniq; vrantur demones, ne fomitis incendium augeant, ut Chryf. dicit, hom. 45. in Ioann. His ergo modis sacramentum hoc, ut physice, vel certe moraliter, corpus ipsum moderatur, & ad operandum virtutem, ac vitandum malum magis habile, magisq; dispositum reddit. Et hinc sumi potest propria ratio huius effectus: quia hoc sacramentum institutum est, ut antidotum ad præseruandum hominē à malis, ut supra dictum est. Vnde, quia fomes peccati est veluti primus fons & origo peccatorum, non potest suauius, neque efficacius sacramentum hoc, hominem à malis præseruare, quam fomitem ipsum mitigando, & ad operandum bonum, hominem confortando. Merito ergo huiusmodi effectus huius sacramenti tribuitur. Et ex his expedita sunt fundamenta aliarum opinionum. Nam, quæ prima asserbat, & parū sunt vrgentia, & ad summum confirmant hanc posteriorem conclusionem, contra quæ non procedunt, quæ adducta sunt in secunda sententia, quia totus hic effectus, quem in corpore fieri diximus, ad spirituales fructus ordinatur, & hæc ratione spiritualis dici potest, & inter auxilia gratiæ, quibus homo præseruatur à malis comprehenditur.

## SECTIO II.

*Vtrum resurrectio vel gloria corporis sit specialis effectus huius sacramenti.*

**R**atio dubitandi est, quia de hoc effectu sit specialis promissio sumentibus hoc sacramentum, Ioã. 6. Item Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: & Qui manducat me, viuet propter me. Et: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est ergo hic effectus specialiter promissus huic sacramento, ergo aliq; propriam & specialem causalitatem circa illum habet. Propter quæ fortasse causam Concil. Nicenum, hoc sacramentum vocauit (symbolum resurrectionis) & Ignatius Epi. 1. 4. ad Eph. vocat. pharmacum immortalitatis: Cyrill. vero lib. 4. in totam c. 16. vocat. Cibum nutriendum ad immortalitatem, & vitam æternam, quod latius explicat c. 15. & l. 10. c. 13. vnde Chryf. l. 6. de sacerdotio dicit: animas eorum, qui hoc sacramentum in fine vitæ suscipiunt, ab Angelis propter assumptum illud sacramentum, hinc recta in cœlum deduci: eorum vero corpora, satellitū morte stipantibus Angelis custodiri in vitam æternam. Greg. aut Niss. dicta orat. catech. c. 37. ad dicit: Corpus nostrum non posse consequi immortalitatem, nisi huic corpori immortali Christi fuerit cõiunctum, & similia fere habent Cyp. ser. de Cœn. Dom. & Tert. lib. de resurrect. car. Ac deniq; Iren. l. 4. contra heretic. 3. ad Tert. probandam futuram resurrectionem, ex vñ huius sacramenti argumentum sumit: Quomodo dicunt carnē in corruptionem deuenire & non perire vitam, quæ à corpore Dñi & sanguine alitur: & infra: Quemadmodum q est terra panis percipies inuocationē Dei, iã non communis panis est, sed Eucharistia ex duab. reb. ex illis, terrena & cœlesti, ita & corpora

ra nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia: spem resurrectionis habentia. Atque similem sententiam habet li. 5. c. 2.

In contrarium autem est, quia gloria corporis respondet gloriae animae: sicut beatus anima respondet gratiae, & charitati: & sicut hoc sacramentum neque habet, neque habere potest aliam efficaciam circa gloriam animae praeter eam, quam habet circa gratiam & charitatem, ita neque aliter potest efficere gloriam corporis, quam gloriam animae. Unde concluditur de primo ad ultimum, hoc sacramentum non aliter conferre immortalem vitam corporis, quam nutriendo & conservando gratiam & charitatem, quae in virtute & in semine omnia illa continent, iuxta illud Ioan. 4. Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.

In hac re plures possunt excogitari modi dicendi. Primus est; immortalem vitam corporis ita esse promissam huic sacramento, ut certum ac simpliciter infallibile sit, eum, qui semel communicat, aeternam vitam esse consecuturum, atque ita senserunt aliqui, quorum sententiam crimine haereseos damnat Au. 21. de Civ. c. 25. q. 2, ut recte docuit D. Th. hic, q. 79. a. 6. ad 1. & 2. hoc facit non aufert possibilitatem peccandi, neque suscipientem statim in gratia confirmat, ut ipsa est experientia evidentius est, quod ut probatione indigeat. Rursum non confert infallibiliter penitentiam finalem ei, qui semel communicavit, ubi n. est de hac re lex, aut promissio: Et ipso rerum euentu, & experientia, est etiam hoc fere evidens, eademque est communis traditio, & sensus totius Ecclesiae. Promissio ergo vitae aeternae facta huic sacramento, intelligitur sicut promissiones aliae de effectibus sacramentorum, quae includunt subintellectam conditionem, scilicet, si per hominem non fterit, vel, si non ponat obicem seu, quantum ex parte sacramenti.

Prima sententia excogitari potest, asserens ratione huius sacramenti conferendum esse corporibus aliquam specialem perfectionem gloriae & immortalitatis: ita ut in hoc, futura sit aliqua differentia inter eos, qui in hac vita participes facti sunt huic sacramento, & alios, qui hoc beneficium non sunt potiti, nisi illi afficerentur singulari aliqua pulchritudine, vel aliqua alia qualitate, ad eum modum, qui martyrio, vel castitati respondet singularis aureola. Sed haec sententia, si quemadmodum potest pie cogitari, ita posset auctoritate aliqua fundari, existimari posset probabilis, quia vero nullum habet fundamentum, relinquenda est, nam in Scriptura sacra, quae ad praesens attinet, tantum promittitur huic sacramento vitae immortalitas, quae communis est omnibus beatis. Nec sancti Patres explicant specialem aliquam dotem vel aureolam, vel aliquid simile specialiter conferendum corporibus eorum, qui in hac vita usi sunt hoc sacramento, sed, ad summum dicunt, illa corpora, quae coniunguntur corpori Christi, per hoc sacramentum participatur gloriae & immortalitati illius, quae etiam participabunt omnia viva membra eius, iuxta illud. Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.

Secunda sententia esse potest, resurrectionem & vitam corporis immortalem non aliter esse effectum huius sacramenti, nisi quatenus sequitur ex effectibus gratiae, quos in hac vita confert, sicut ratio in principio facta suadebat. Hoc potest explicari dupliciter. Primo ratione generali, quia, dando gratiam, datur ius ad vitam aeternam animae, & corporis. Sed hoc non videtur esse satis ad satisfaciendum omnibus testimoniis in principio adductis, quia hoc commune est omnibus sacramentis, & praecipue Baptismo & Penitentiae, haec enim per se conferunt primam gratiam, atque adeo primum ius ad gloriam, quod reliqua sacramenta augent & corroborant. Secundo ergo id explicatur ratione speciali: quia hoc sacramentum datum specialiter est ad perseverandum in gratia, & ut in fortitudine huius cibi pervenire possimus usque ad montem Dei. 3. Reg. 19. & hac ratione ade-

ptio gloriae & consequenter vitae aeternae, potest specialiter attribui huic sacramento: sicut in statu innocentiae immortalitas vitae tribuebatur cibo ligni vitae & efficaciam illius. Atque in hunc modum recte etiam intelligitur differentia, quam Christus constituit Ioan. 6. inter manna & panem hunc in illis verbis Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt qui manducant hunc panem, vivet in aeternum. Nam quod attinet ad praesentem vitam, neuter ex his cibis praeservat a corporali morte, quod vero pertinet ad vitam, quam post resurrectionem speramus, manna de se nullo modo illam praestabat, quia de se nihil ad spiritualem vitam conferebat, hic autem panis, conservando nunc spiritualem vitam, confert seu iuvat ad obtinendam immortalem vitam corporis, quae spirituali vitae animae respondet. Et haec sententia est valde probabilis, sed iuxta illam nullum hinc habemus specialem effectum huius sacramenti diversum ab illis, quos supra posuimus.

Tertium ergo modum addere possumus, resurrectionem & immortalitatem corporis esse specialem effectum huius sacramenti, quia, licet ratione illius non conferatur corpori aliquod donum, quod ratione gratiae, vel gloriae animae, non debeatur, dabitur tamen proprio & speciali titulo, scilicet propter specialem coniunctionem cum Christo factam per hoc sacramentum. Et in primis hunc modum esse possibilem facile declaratur, tum ratione generali, quia non repugnat eandem rem pluribus titulis promitti & deberi, tum etiam exemplis, nam Christo debebatur corporis resurrectio & gloria, & ratione unionis, & propter gratiam & gloriam animae, & nihilominus, speciali titulo, fecit sibi debitam illam gloriam per sua merita. Deinde, hunc modum fuisse congruentem, ita declaratur, quia ad augendam nostram spem & devotionem, ac reverentiam ad hoc sacramentum, decuit Christum specialiter promittere immortalitatem corporibus, quae corpori Christi per illud coniunguntur. Item, ut significaretur efficacia vivificae carnis Christi, quae futura est proxima causa nostrae resurrectionis, & vitae immortalis. Propter quod dixit Cyrillus, dicit lib. 10. in Ioan. c. 13. & lib. 11. ca. 27. Non poterat aliter corruptibilis haec natura corporis ad immortalitatem & vitam perpetuam traduci nisi naturalis vitae corpus illi coniungeretur, ubi verbum illud (non poterat) non significat necessitatem, seu impossibilitatem simpliciter, sed congruentiam & maximam decentiam, vel etiam necessitatem quadam supposita divina ordinatione: sic enim necessarium fuit, carnem humanam verbo divini, quod est fons vitae, coniungi, ut per illam mors vinceretur & corpora nostra immortalitatem acquirerent. Et ideo etiam decuit, corpora nostra carni Christi coniungi per hoc sacramentum, tanquam principio, & origini suae immortalitatis, & consequenter etiam decuit, ut hoc speciali titulo debeatur immortalitas huiusmodi corporibus. Denique haec specialis promissio videtur satis indicari locis citatis in principio huius sectionis. Et fortasse haec de causa dicitur hoc sacramentum datum: ut pignus felicitatis & gloriae ut dicit Trid. sess. 13. c. 2. Et Chryso. 45. in Io. ubi sic facit Christum loquentem. Ego autem mea carne alo, quos genui, me eis exhibeo, omnibus faueo, omnibus optimam de futuris spem praebeco. Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Hic ergo modus explicandi hunc effectum pius est & probabilis, in quo non occurrit difficultas aliqua explicanda, quia reverentia non continet novum effectum, sed solum novum modum promittendi, seu novum titulum & rationem conferendi eundem effectum, unde fit, eos, qui non suscipiunt hoc sacramentum, vel, qui ante institutionem eius vixerunt, non privari aliqua perfectione gloriae animae, vel corporis, si alias perfectione gratiae & charitatis non sint inferiores: sed solum privari illo speciali titulo: quia scilicet, non dabitur eis gloria

Deo 4. Eusebii in ca. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Aug. 21. de Civ. c. 25. q. 2.

1. Sententia.

1. Sententia.

Ioan. 6.

3. Sententia.

Estimabilem probatur.

Cyrril.

Trid.

Chryso.

